



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

3 An hæc latitudo ac quiratur mutatione, seu succeßione co[n]tinua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

indivisibilis est. Hæ autem potentia seu naturales facultates proximè dimanant à forma, & non magis pendunt à dispositionibus quam ipsa, & ideo non magis necesse est eas in se minui, quam formam. Sic ut etiam potentia visiva, verbi gratia, requirit in suo organo certum temperamentum: ipsa verò non intenditur aut remittitur variato temperamento, sed vel tota perit, quando dissolutio temperamenti pervenit ad certum terminum, vel tota conservatur, quamvis cum maiori, vel minori aptitudine ad operandum ex parte temperamenti. Sic igitur probabile est, licet incertum, idem contingere in propriis potentiis connaturalibus, quæ nec sunt passibiles qualitates, nec per se possunt per propriam actionem fieri, sed solum per naturalem dimanationem à substantiali forma. Quod si fortasse aliqua ex his facultatibus intendi possunt & remitti, id habent quatenus tantum dependentiam habent à temperamento passibilium qualitatū, ut cum illo intenduntur vel remittantur. Denique semper limitavi hanc partem ad naturales potentias, quia virtutes instrumentariae, quæ ab extrinseco advenire possunt, & ad secundam speciem qualitatis pertinent, ut impetus, & similes, intendi possunt & remitti. Et ideo dixi regulariter hoc esse intelligendum.

XIII. Ex his ergo satis patet negatiua pars conclusionis, quo modo in secunda & quarta specie qualitatis veniunt habere. Quod verò pars affirmatiua sit vera in prima & tertia specie satis constat inductione in habitibus, & actibus animæ, & in primis qualitatibus elementorum, ut in coloribus & aliis huiusmodi. Ratio verò reddi potest, quia in his qualitatibus inveniuntur omnia quæ ad hanc latitudinem intensiuiam sufficere possunt. Nam omnes illæ sunt per proprias actiones absque dimanatione naturali, vel si aliqua earum manant naturaliter ab aliis quibus formis, ut calor à forma ignis, frigus à forma aquæ, habent tamen contrarium à quo impedi possint, & minui, & per se etiam, seu per propriam actionem fieri possunt. Rursus hæ qualitates ex vi suarum rationum essentialium non includunt indivisibilitatem repugnantem huic latitudini intensiuiæ: & alioqui habent proprias entitates accidentales, in quibus possunt esse capaces huius latitudinis. Qui discursus probat optimè, si in aliquo genere dantur qualitates intensibiles, ut re vera dantur, in his maximè dari. Probat etiam, nobis non constare esse in his generibus aliquas qualitates huius latitudinis incapaces. Et hoc satis est, ut nos affirmemus omnes qualitates harum duarum specierum esse intensibiles: id tamen demonstrare non possumus: nam fortasse vel datur vel possibilibus est aliqua qualitas harum specierum, quæ intendi non possit: quia in hoc non obdimus nos positivam repugnantiam. Sicut è conuerso forte datur aliqua naturalis potentia quæ intendi possit & remitti: qualem multi censent esse gravitatem aut leuitatem, de quo aliàs. Atque ita cessant facile obiectiones quæ hic fieri possunt.

XIV. Vna verò difficultas huic quæstioni solet adiungi, nimirum, an in formis eiusdem speciei, quæ intensibiles non sunt, possit dari inæqualitas in perfectione individuali. Sed hanc quæstionem iam supra remisimus in libros de anima: quia, licet generalis sit, eius tamè difficultas in animabus, & præsertim rationali versatur: & ab hoc loco maxime est aliena cum ad intensiōem qualitatis explicandam nihil conferat.

SECTIO III.

Qualis sit actio seu mutatio, per quam latitudo intensiuiæ qualitatis acquiritur.

I.



Actenus egimus de intensiōe in priorius significato superius posito, scilicet, de latitudine, quæ dicit in ipso termino, seu qualitate: superest dicendū

de altero significato, scilicet, de acquisitione talis latitudinis, nam multum confert ad magis explicandam hanc proprietatem: & licet quæstio physica videatur, latius tamen patet, & propriam difficultatem continet metaphysicam, ut videbimus. Ut autem ea quæ dubitari solent, melius intelligantur, prætermittere oportet aliqua, quæ certa videntur.

Nonnullæ suppositiones.

PRIMUM est, acquisitionem hanc perfectionis intensiuiæ esse veram & realem actionem, & passionem seu mutationem. Hoc constat experientia: imo nulla est alteratio, quæ nobis familiarior sit: per hanc enim res omnes in melius vel deterius commutantur. Secundum est, huiusmodi acquisitionem sæpe esse diuersam actionem à prima acquisitione vel effectiōe ipsius qualitatis. Hoc etiam constat experientia, tam in habitibus animæ, quam in qualitatibus sensibilibus. Nam vna actio tempore antecedit aliā. Tertium est, latitudinem intensiuiam non semper acquiri totam simul, aut per vnam indivisibilem actionem, sed successu temporis, etiam post primam formæ acquisitionem. Quod etiam manifestum est experientia, & ex dicendis magis constabit.

Sine intensiōe maior radicatio, & cunctio in eadem forma.

His positis multa sunt dubia, quæ in titulo proposito comprehenduntur. Primum illud vulgare, an acquisitio seu intensio sit realis additio formæ, vel maior radicatio auteductio. Sed in hoc iam nobis nulla relinquitur quæstio, suppositis, quæ in prima sectione dicta sunt. Vnde nunc solum addendum restat, illa tria, scilicet intendi per additionem, per maiorem radicationem, aut per eductionem, non esse inter se pugnantia, sed omnia esse vera, si recte explicentur. Primum enim negari non potest, quin in hac acquisitione interveniat realis additio, cum præexistens forma realiter perficiatur per nonnam realem actionem. Illud autem, quod additur, non potest non esse aliquid entitatis formæ: quæ supra latè probata sunt. Rursus manifestum est, hoc quod additur per hanc actionem, non præexistisse actu ante illam actionem, quia vel præexistet in eodem subiecto, vel in alio: non in eodem, aliàs nulla postea fieret additio: nec in alio, quia vel accidens migraret de subiecto in subiectum vel talis additio fieret, quod est impossibile, vel addendum esset non solum accedens accidenti, sed subiectum subiecto, & sic non esset intensio, sed extensio. Et hoc est quod Aristot. dixit. 4. Physic. c. 9. Ex calido fieri magis calidum nullo facto in materia calido, id est, sine additione subiecti seu partis de nouo calidæ, ut Commentator expresse declarat. Additio ergo per se necessaria ad intensiōem debet esse solius partis, seu gradus formæ in eodem subiecto, in quo præexistebat forma remissa. Igitur id, quod additur per intensiōem, antea non præexistebat, sed de nouo fit.

Hinc ergo tandem concluditur, hoc quod additur in intensiōe educi de potentia subiecti, quia non fit per creationem, sed fit in subiecto, dependenter ab illo in fieri & in esse. Neque oportet quoad hoc excipere intensiōem qualitatū insofarum (ut putavit Caietan. 1. 2. q. 52. art. 2.) nam etiam illæ qualitates fiunt per eductionem, ut supra probavi disputat. 16. ergo simili modo augentur, nam est eadem utriusque ratio. Ita fit, ut intensio formæ sit quædam maioreductio eius de potentia subiecti, quæ vocatur additio, comparando terminum huius mutationis ad rem præexistentem:eductio autem vocatur per comparisonem ad subiectum, in quo & ex quo fit talis mutatio. Atque eademeductio vocatur maior radicatio ta-

io talis formæ in eodem subiecto, quia qualitas que plures habet gradus iam actu eductos de potentia subiecti, magis illi dominatur, magisque habet entitatem suam in illo radicatum. Specialiter autem in hac locutione denotatur, hanc additionem, quæ per intentionem fit, non esse meram aggregationem diuersarum qualitatuum in eadem parte subiecti, sed esse educationem vnius & eiusdem formæ secundum diuersos gradus seu partes eius, ex quibus forma per se vna componitur, ex quo magis integra efficitur, eo magis radicari in subiecto dicitur.

Et iuxta hunc modum existimant multi recentiores exponi posse D. Thom. sententiam de intentione formarum per maiorem radicationem in eodem subiecto. Nam hoc sensu, & non alio potest habere verum illa sententia & verba D. Tho. huius sensui non videntur contradicere. Nam 1. 2. q. 52. ar. 2. sic ait. *Huiusmodi augmentum habituum, & aliarum formarum non fit per additionem forme ad formam, sed fit per hoc, quod subiectum magis vel minus participet vnam & eandem formam.* Non potest autem subiectum magis vel minus participare vnam & eandem formam, nisi quatenus talis forma magis vel minus educta de potentia eius, & consequenter: quia plus vel minus habet de entitate actualis formæ, quod non potest intelligi sine aliqua additione. Quam non videtur D. Thomas in vniuersum negare, sed negat additionem formæ ad formam, id est, meram aggregationem plurium qualitatum aut graduum omnino similium, iuxta sensum superiorum impugnatum, in opinione secunda, tractata in sect. 1. Et iuxta hanc interpretationem, & hæc verba, potest exponi D. Tho. quandoque alibi videtur additionem negare: quanquam, ut verum fatear, interdum difficilius loqui videatur.

Fiatne intentio successione continua.

VI. Secundo dubitari potest circa hanc intentionem seu educationem qualitatis, cum non simul tota fiat, an fiat per successionem continuam, vel discretam. Aliqui censent non posse continue fieri, sed solum per mutationes instantaneas & discretas. Ita tenet Soncinus 8. Metaphysicæ quæstion. 21. & sequuntur aliqui Thomistæ, & tribuunt D. Thomæ 8. Physicor. lect. 5. ubi ait, non esse possibile aliquid continue augeri vel minui. Citatur etiam Commentator 8. Physicor. com. 6. ubi significat, intentionem non esse vnum motum continuum, sed plures alterationes. Imo etiam citatur Arist. 8. Physicor. text. 23. dicens impossibile esse aliquid augeri vel minui semper, sed inter ea esse medium. Ratio autem huius sententiæ est, quia qualitas cum principio fit, per indiuisibilem mutationem & in instanti fit in aliquo gradu suo: ergo postea per similes mutationes augetur: ergo non potest augeri continue. Primum antecedens probatur, tum quia res permanens incipit per primum sui esse, ex Aristotele 8. Physicor. text. 69. tum etiam quia in his qualitatibus datur minimum secundum intentionem, quod necesse est à principio indiuisibiliter fieri, atque adeo per mutationem indiuisibilem & momentaneam. Prima vero consequentia probatur, tum quia gradus secundus, qui per intentionem additur primo, est proportionalis illi, & æque indiuisibilis: tum etiam, quia agens tantum potest agere in quolibet instanti sequenti, quantum in primo, vel etiam magis, quia est in se æque potens: & passum est magis dispositum: ergo sicut in primo instanti subita actione produxit certum gradum caloris, ita postea illum auget per similem seu proportionalem actionem. Secunda item consequentia probatur, tum quia mutationes indiuisibiles non possunt continuari. Tum etiam, quia alias in fine actionis qualitas esset infinite intensa: nam in quolibet instanti æqualis gradus illi esset additus: sunt autem in continua successione infinita instantia. Itaque iuxta hanc opinionem, latitudo intensi-

ua qualitatis solum est composita ex indiuisibilibus gradibus in quodam definito numero, octo verbi gratia aut decem, & per totidem mutationes indiuisibiles, tota illa latitudo consummatur, & per singulas post primam productionem augetur, seu intenditur.

Hæc vero sententia falsa est, & contra communem Philosophorum sententiam. Quapropter aduertendum est hic non quæri an intentio qualitatis à minimo gradu usque ad summum necessario fiat vna mutatione continua: constat enim id non esse necessariū, fieri enim potest, ut aliquando interrumpatur intentio, & iterum postea in ea procedatur, ut experientia constat: quo sensu loquuntur de discontinuatione alterationis, vel augmentationis Aristoteles, & Commentator locis citatis. Quæstio ergo est, an alteratio fieri possit continua successione, & consequenter an currentibus omnibus requisitis ex parte naturalis agentis & passivi ita fiat, an vero ex parte ipsius qualitatis semper id repugnet.

In quo sensu dicendum est, latitudinem intensiua qualitatis quantum est ex se acquiri posse successione continua, & ita frequenter acquiri in physicis alterationibus. Hæc assertio est consentanea Aristoteli in 5. & 6. Physicor. ubi alterationem numerat inter physicos motus, qui diuisibiles sunt secundum tempus, & continuationem requirunt. & Commentator 3. Physicor. text. 6. ait, continuationem esse de ratione motus, scilicet, qui per se & proprie vnus fit. Hanc enim conditionem postulauit Arist. 6. Physicor. ad unitatem motus. Nam si mutationes sunt discontinuæ, non poterit ex illis componi motus, qui verè & proprie vnus fit, sed ad summum ad modum numeri, vel quantitatis discretæ. Et idem sentit D. Thom. eisdem locis, & omnes fere authores, qui ponunt in his qualitatibus latitudinem graduum, hanc sententiam sequuntur ut Ægyd. 1. de Gener. q. 26. Ian. lib. 8. Physicor. q. 3. Qui tamen sine causa dicunt extensionem qualitatis necessario esse discretam, quamuis intentio sit continua: sed illud primum etiam falsum esse, constabit ex dicendis.

Conclusio ergo probatur primo experientia: nam videmus manum igni approximata magis ac magis calefieri, & calorem ipsum sentire. Dicent fortasse, discontinuationem fieri per morulas imperceptibiles. Sed hoc in primis sicut gratis, & sine experimento vel efficaci ratione dicitur, ita facile cōtemnitur. Deinde interrogo, cur in illis morulis cesset agens ab actione sua, & cur iterum ad illam redeat? Non enim est agens voluntarium, ut pro suo arbitrio nunc cesset ab agendo, postea iterum agat: nec etiam ex parte eius potest reddi ratio: nam suppono habere semper eandem virtutem & æqualem, vel maiorem propinquitatem ad passum. Et eodem modo suppono, non esse rationem ex parte medii, quia est idem. Nec denique potest reddi ratio ex parte passivi, quia etiam illud, est idem, & æque vel magis dispositum ad recipiendam actionem agentis. Respondent aliqui rationem sumendam esse ex dispositione passivi, quæ non est æqualis in eo puncto, in quo agens iterat actionem intensiuam, sed iam tunc passum est magis dispositum, quam esset in tempore antecedenti. Quod si interrogas, à quo fuerit passum magis dispositum. Respondent ipsummet agens illam maiorem dispositionem effecisse. Quo fit, ut iuxta hanc sententiam, licet agēs quod intendit formam, cesset in aliquibus morulis à propria actione intendendi talem formam, non verò cesset simpliciter ab agendo, quia semper disponit passum, ut magis idoneum sit ad alium gradum intentionis recipiendum.

Sed qui ita respondent, in primis non constanter loquuntur, nam illa dispositio quæ fit in subiecto, necessario debet continue fieri in singulis partibus temporis, quæ inter vnam & aliam actionem intensiuam intercedunt: Nam si non fit continue, interrogabo rursus, cur interrumpatur illa actio, & cur i-

VII.
Improbatur
allata
sententia.

VIII.
Intentio quæ
libet suc-
cessione &
continua
fieri potest.

IX.

X.

serum

rerum agens ad illam redeat, & vel recurrendum erit ad aliam priorem dispositionem, de qua eadem cedebit quæstio, & sic procedetur in infinitum, vel querenda erit alia ratio talis interruptionis. Si autem illa dispositio fit in actione continua, cur non dicatur idem de ipsa actione intensiva sine multiplicatione superflua talium actionum. Eo vel maxime, quod si illa actio, quæ ad talem dispositionem tendit, non potest esse nisi alteratio aliqua, quia non est localis motio ipsius passi, ut suppono: ergo continuas illius actionis esse non potest nisi intensio, quia non est extensio, loquimur enim de actione, quæ fit circa idem subiectum secundum eandem partem: ergo iam illa sententia admittit continuitatem in actione intensiva, alicuius dispositionis. Adde quod talis dispositio prævia ad intensiorem alterius qualitatis, v.g. caloris est plane conficta: quid enim esse potest illa dispositio, nisi alia qualitas? ergo sistendum necessario est in aliqua prima qualitate, ad quam non fit prævia dispositio: ergo intensio illius primæ qualitatis non potest interrumpi, ex defectu dispositionis, vel iterum fieri ob maiorem dispositionem subiecti. Inter qualitates autem physicas huiusmodi videntur maxime esse calor, & alie primæ qualitates, nam licet raritas, verbi gratia, videatur esse dispositio ad calorem, tamen per se loquendo non est dispositio prævia, sed consequens: quando enim calor per se fit, non fit media rarefactione, sed potius ad effectum caloris, consequitur rarefactio. Idem argumentum est manifestum in lumine, quod in aere puro nullam dispositionem requirit, præter diaphaneitatem connaturalem aëri.

XI.

Ex quo præterea sumitur evidens argumentum, nam solum oritur, & ascendit, verbi gratia, in nostrum hemisphaerium, & continue magis ac magis fit propinquius huic aëri: ergo continue magis ac magis eum illuminat: nec ex parte dispositionis passi potest intervenire interruptio, cum quia per se nulla requiritur in passo nova dispositio, tum etiam, quia si cōtingat esse in aëre vapores, vel aliquid simile, impediens perfectam illuminationem, illud ipsum non dissipatur à sole, nisi media actione illuminandi: hæc ergo actio & intensio luminis continue fit. Respondet Socinas supra tunc interruptionem actionis non provenire ex dispositione passi, sed ex natura ipsius qualitatis, quæ non potest continue fieri, eo quod ex indivisibilibus gradibus componatur. Sed contra: nam si hoc ita esset, non posset naturalis ratio reddi, cur intensio fiat per illas morulas, & non per maiores, vel potius cur omnes illæ mutationes non fiant simul in eodem instanti. Quod ita declaro, demus solum in hoc instanti fecisse secundum gradum luminis, & per aliquod tempus subsequens cessare, & post aliquod tempus in alio instanti efficere tertium gradum, & tunc cum inter illa duo instantia mediet definitum tempus, quod potest dividi in duas partes, quæ continuantur in aliquo instanti medio inter illa duo extrema, interrogo, cur sol non produxerit tertium gradum luminis in illo instanti medio. Nam ex parte formæ iam id non repugnat, cum iam ponatur interrupta actio per aliquam particulam temporis, & gradus illi indivisibiles ponantur fieri per duas actiones indivisibiles discretas ad quas impertinens est, quod tempus inter eas positum sit longius aut brevius. Et idem argumentum fieri potest de quocumque instanti signato: nam inter quolibet duo instantia mediat tempus in quo possunt priora instantia designari, atque ita in infinitum. Non potest ergo ex naturalibus causis ratio talis actionis reddi, sed oportebit recurrere ad primam causam, quæ determinet singula instantia, in quibus iterandæ sunt mutationes, quibus fit intensio: quod sane philosophicum non est, præsertim ubi nulla ratio vel experientia cogit. Unde ulterius sequitur in illa sententia, omnes illos gradus simul in eodem instanti fieri, quia ut infra dicam

ex parte formæ non repugnat sic fieri, sicut non repugnat simul esse: nec etiam repugnabit ex parte agentis aut passi: quandoquidem post transactum aliquod tempus nulla alia facta mutatione in passo vel agente sunt illi gradus: ergo ex parte agentis erat sufficiens virtus & capacitas in passo: ergo illa successio & interruptio temporis est impertinens.

XII.

Ex his ergo satis probatur experientia, & à posteriori, intensiorem qualitatis successione continua fieri posse. Ratio vero à priori petenda est ex principio contrario fundamento primæ sententiæ. Latitudo enim intensiva qualitatis non componitur ex certo numero indivisibilium graduum, sed est in infinitum indivisibilis, eadem proportione, qualis est vel alia quantitas continua. Sicut enim in linea sunt infinitæ partes proportionales, ita etiam sunt in latitudine intensiva caloris, licet non sint sic distinctæ sicut partes lineæ, sed sola compositione & latitudine entitativa. Huiusmodi autem esse latitudinem intensivam, manifestat nobis motus, & acquisitio talis formæ. Neque aliam rationem à priori illius compositionis reddere possumus præter eas quæ de latitudine intensiva formarum in superioribus adductæ sunt, nam hæc est natura harum qualitatum, quod nimirum habeant hunc modum entitatis, & compositionis, in qua nulla potest offendi repugnantia, magis quam in compositione lineæ ex suis partibus in infinitum indivisibilibus. Supposita ergo tali compositione partium qualitatis secundum intensiorem, non est difficile intell gere, secundum eas posse fieri intensiorem continuam. Quia signata qualibet parte illius qualitatis potest figurari alia minor, eo quod sit indivisibilis in infinitum, ergo etiam qualibet pars minor potest breviori tempore acquiri, & maior in maiori atque ita tota intensio fieri successione continua.

XIII.

Quo fit ut licet in huiusmodi qualitativis soleant à nobis mente dividi octo vel decem gradus, ut de illis loqui possimus, singuli tamen gradus non sint indivisibiles, sed sint veluti partes æquales, sicut in linea dividimus palmos, aut in tempore horas, quæ tamen in infinitum divisibiles sunt. Atque ita, quando calor ut duo intenditur successivè, non fit immediate ut tria, sed prius fit ut duo & dimidium, & prius acquirit quartam partem tertii gradus, & sic in infinitum.

XIV.

Olivian.

Dices: quamvis hinc sufficienter declaratur, successiorem continuam non repugnare intensiorem ex parte latitudinis formæ, tamen nondum esse sufficientem rationem datâ cur illam latitudinem formæ successivè fiat, nam licet illæ partes formæ in re sint distinctæ, & sint divisibiles illo modo, nihilominus possunt omnes simul fieri, sicut partes lineæ etiam sunt distinctæ, & divisibiles in infinitum, & nihilominus simul produci possunt: vel sicut in calore partes quas habet in superficie, secundum extensionem, distinctæ sunt, & divisibiles in infinitum sicut partes superficiæ, & tamen omnes possunt simul fieri: contingit enim simul caleferi totam superficiem. Et confirmatur ac declaratur ratione, nam omnes illi gradus intensiorem simul permanent in eodem subiecto, & ab agente pendeant in conservari, simul etiam duxat in quolibet instanti tota actio, per quam fiunt, non obstante distinctione partium, & divisibilitate illius latitudinis: ergo eadem ratione simul fieri possunt absque vlla successione. Patet consequentia, tum quia non est maior ratio de conservatione, quam de prima productione, tum etiam quia partes actionis vel mutationis non magis inter se pugnant, quominus simul fiant, quam partes termini, quominus simul sint, quia tota repugnantia actionum sumenda, est ex terminis. Ergo omnes partes illius actionis possunt simul fieri sine vlla successione: ergo ex solo illo capite non redditur sufficiens ratio huius continuæ successiōis.

XV.

Respondetur in primis, difficultatem hanc æque progre-

procedere de successione discretæ, & de continua, quia ratio facta eo tendit, ut probet omnes gradus simul fieri, & sine illa successione. Deinde dicimus, rationem factam recte concludere, ex parte solius latitudinis intensivæ ipsius qualitatis non repugnare, quominus qualitatis intensibilis, aut secundum totam latitudinem suam, aut secundum aliquos gradus eius, simul fiat. Id quod etiam confirmat experientia, nam lumen subito fit secundum aliquos gradus intensivæ, & voluntas nostra subito prorumpere potest in ferventem, & intensum actum amoris. Neque hoc est contra dicta, quia solum diximus intensivæ qualitatis posse continue fieri: verumque autem verum esse potest, cum utraque sit propositio indefinita. Quod si inquiras, quis modus effectivæ sit magis naturalis qualitati, aut intensiori eius. Respondeo, iuxta diversas condiciones rerum concurrentium ad talem actionem alterutrum ex dictis modis esse magis connaturale. Si enim ex parte qualitatis intensibilis, consideres permanentiam eius, & quod omnes gradus eius possunt esse simul in eodem subiecto quod sufficientem habet capacitatem ad omnes illos simul recipiendos & sustinendos, ex hac parte magis connaturale est tali qualitate ut tota secundum omnem suam intensivam simul fiat, si ex parte agentis sufficientis sit virtus, & nihil sit quod impediatur, & hoc etiam sufficienter probat difficultas proposita. At vero si consideremus, aut limitatam virtutem agentis, aut repugnantiam vel indispositionem passivi, sic magis connaturale est ut talis intensio, continua successione fiat, eo modo, quo illam declaravimus.

Atque hinc colligere licet tres causas, ob quas mutatio hæc successivæ sit, supposita latitudinis seu capacitatis ex parte termini, ex quibus duæ sunt certiores, alia vero magis dubia. Prima causa est distantia inter agentem, & passum, quæ per continuum motum minuitur, dum magis ac magis appropinquant agentis & passivi: quæ causam experimur in illuminatione Solis. Erratio est, quia agens limitatum non æquè agit in distans ac in propinquum, & ideo in partem distantem passivi non agit in principio quantum absolute potest, sed solum quantum potest ad talem distantiam, quia vero illa distantia successivè minuitur, & continue, ideo etiam successivè, & continue crescit effectus in eisdem partibus passivi, quod augmentum intensivum est. Hæc est ergo prima causa huius successivæ continuationis respectu agentium naturalium, cui alia proportionalis responderet in agentibus liberis, nam quatenus talia sunt, non agunt, quantum possunt, sed quantum volunt, & ideo, si aliunde non est impedimentum, possunt successione continua intendere qualitatem, magis ac magis applicando suam virtutem. Ut voluntas potest per aliquod tempus continue amare, & amorem ipsum intendere.

Secunda causa est resistentia subiecti per contrariam qualitatem, vel per aliam dispositionem repugnantem introductioni alterius qualitatis. Ex hac enim radice frequentius provenit successio, quam in alteratione physica & materiali experimur, ut lignum etiam si perfecte applicatum sit maximo igni, non subito perfecte calefit, sed successivè, quod non provenit nisi à resistentia. Nam cum agens sit finita virtutis, non potest resistentiam passivi subito vincere, unde quo minore est passivi resistentia, eo velocius fit intensio. Solum autem alterationis nomen simpliciter dictum, apud Philosophos sumi pro alteratione physica & materiali ac sensibili, quæ fit inter contraria, & est via ad generationes & corruptiones: quomodo dicitur 1. de Generat. quidquid alterabile est, esse corruptibile, & ideo talis alteratio simpliciter dicitur motus successivus, quia sicut naturale est his qualitatibus habere contrarium, ita etiam naturale illis est successivè inveniendi ac perfici. Hic vero occurrebat specialis difficultas de intensione habituum, de qua statim dicam.

Tom. II. Metaphys.

Tertia causa huius successivæ continuationis esse potest sola limitatio seu imperfectio virtutis agentis. Nam ex illa potest provenire, ut non possit subito efficere totum effectum, & ideo paulatim & per partes illum efficiat. Itaque hæc causa differt à præcedentibus, quia seclusa resistentia passivi, & ablata etiam omni distantia inter agentem & passum, ex eo præcise quod agens est imperfecta virtutis, determinatur ad talem modum agendi, ut non possit omnes gradus latitudinis forme simul efficere, sed unum post alium. Ad quod etiam concurrunt varia dispositio subiecti, nam cum in principio non sit dispositum ad talem qualitatem, agens non potest in illud introducere nisi minimum gradum: per hunc autem disponitur ad gradum ulteriorem, & ita consequenter per unumquemque gradum ad alium proximum perfectiorem, atque hæc ratione successivæ sit intensio. Exemplum huius dari potest in intensione habituum: actus enim qui efficit habitum, non statim confert illi omnem intensivam quam potest etiam si in potentia nullus sit actus contrarius. Nam, ut supra diximus, primus actus efficit habitum, & non est verisimile efficere statim habitum sibi æqualem quoad omnes gradus intensivæ: imo multi existimant primum actum nihil efficere, sed quantum vel quantum in virtute præcedentium nos autem existimamus, necessarium esse ut unusquisque actus aliquid efficiat, & alias non posse posteriorem actum iuvare à præcedentibus. Addimus tamen verisimile esse, habitum, qui fit per primum, vel secundum actum, non posse esse tam perfectum vel intensum, quantum per plures actus similes fieri potest. Unde concludi videtur, primum actum ex sola imperfecta virtute activa non posse simul producere intensivam habitus sibi adæquatam.

De habituum intensivæ peculiaris difficultas.

Dices. Ergo saltem in intensione habituum verum est non fieri successione continua, sed per mutationes discretas, nam unus actus subito videtur efficere aliquem gradum intensivæ, & postea alium actum addere aliam particulam intensivæ, & sic de cæteris. Respondetur, quamquam id concedatur, nullum esse inconueniens, quia nos non diximus, omnem intensivam qualitatis successione continua fieri, & hic interuenit specialis causa, ob quam non continue fiat, quia quot variantur actus, tot variantur agentia concurrentia ad intensivam, & unumquodque eorum subito agit, quantum potest. Deinde potest responderi negando sequelam, si sensus consequentis sit, ut esse debet, intensivam habitus non posse aliter fieri quam per mutationes discretas.

Ut autem explicem, utramque responsionem aduerto, duobus modis intelligi posse, habere unumquemque actum virtutem ad efficiendum vel intendendum habitum. Primo, quod nullus actus perfecte solus sit sufficiens ad efficiendum habitum sibi æqualem secundum intensivam suam, sed solum ad efficiendum aliquem gradum habitus in certa proportionem, ut, verbi grat. quod actus ut quatuor possit in nuda potentia introducere primum gradum habitus: in potentia vero iam habente primum gradum, possit introducere secundum, & sic de cæteris. Deinde, quia isti actus ex natura sua habent actionem perfectivam, & non corruptivam, addi etiam potest verisimile esse, unumquemque actum subito efficere quantum potest, iuxta dispositionem & capacitatem potentie, ita ut si illa sit magis vel minus disposita, aut etiam contraria qualitate affecta, etiam possit actus magis vel minus efficere, semper tamen subito, simulque efficiat totum, quod hic & nunc potest circa subiectum sic dispositum. Quod si hæc vera sunt ex illis recte sequitur intensivam habitus fieri per mutationes discretas, & procedit primus modus respondendi.

XVIII.

Tertia causa successivæ continuationis intensivæ.

XIX.

XX.

Tt

Secund.

XXI.

Secundo vero modo intelligi potest hæc actiuitas actuum, nimirum, quod virtus actiua vniuscuiusque actus non sit limitata ad vnum tantum gradum habitus sibi inæqualem: sed possit quantum est de se efficere habitum sibi æqualem in intensiōe, ita tamen vt non valeat effectum sibi adæquatum subito efficere, sed paulatim procedat ab imperfecto ad perfectum. Est autem hoc verisimile, primo quia cum actus sit perfectior quam habitus acquisitus per illum, nulla est ratio ob quam de se non est effectiuus habitus secundum totam suam intensiōem, quandoquidem virtus actiua est proportionata entitati formæ, & crescit per singulos gradus eius. Secundo, quia supposito, quod primus actus non efficiat habitum sibi æqualem in intensiōe, verisimile est secundum actum æqualem augere illum habitum, & vtrunque sit valde probabile ipsa experientia, vt supra ostendi. ergo etiam idem actus perseverans in potētia magis ac magis intendit habitum à se productum in primo instanti. Patet consequentia, quia ille actus perseverans non est minus efficax physice loquendo, quam alius actus sibi æqualis, & ex eo quod aliquid effecerit in primo instanti, non est diminuta eius virtus, quo minus postea etiā possit efficere quādiu est: si subiectum sit capax: ergo etiam idem actus perseverans potest intendere habitum à se productum. Et hoc etiam videtur ostendere experientia, nam ceteris paribus firmiorem habitum aliquis acquirit per diuturnum actum, in quo multo tempore perseveravit, quam per actum breui transuentem: ergo signum est eundem actum esse actiuum, saltem quādo habitus non peruenit ad perfectionem ei æqualem. Atque ita etiam sequitur, actum quantum est ex se virtutem habere, ad efficiendum habitum sibi æqualem, quanquam non possit totam illam efficacitatem simul exercere, sed paulatim propter limitationem & determinationem talis virtutis vt in tertia causa dicebamus. Cui addi potest non deesse aliquam resistantiam ex parte subiecti susceptiui habitus propter indeterminationem & indifferentiam eius, vt supra disputatione 44. asseribamus. Nam si in agente est sufficiens virtus, difficile intellectu est cur determinetur ad illum modum agendi, si ne subiectum resistit villo modo, nec formæ repugnat instantanea productio. Atque ita videtur limitata illa tertia causa & fere coincidit cum secunda solumque erit differentia in modo illius repugnantie vel resistantie ex parte subiecti.

XII.

Habitus continuus successione intendendi potest. Equomodo.

Hoc autem principio posito manifeste sequitur intensiōem habitus posse etiam fieri successione continua. Nam si idem habitus perseverans in potentia intendere potest habitum à se productum in principio, necesse est vt successiue & continuè illum intendat idem agens, & æque applicatum: vnde eandem etiam vim & rationem habet ad agendum in toto illo tempore. Et argumenta superius facta de ceteris agentibus, hic etiam locum habent. Et maxime hoc potest confirmari, si idem actus in potentia continuè augeatur vt, fieri posse diximus: nam tunc ratione maioris intensiōis continuè magis etiam ac magis continuè augebit habitum. Denique, hoc etiam videtur maxime necessarium, quando potentia est affecta contratio habitu in gradu impossibili, nam tunc etiā per habitum resistit intensiōi alterius habitus, & ideo necesse est vt actio non sit instantanea, sed successiua, difficile enim erit differentiam in hoc constituere inter habitus contrarios, & alias qualitates oppositas, quæ erat difficultas superius remissa in hunc locum.

XXIII.

Oppositæ sententiæ fundamenta dirimuntur.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus auctoritates continet, responsum iam est: non enim negant illi Doctores, motū alterationis vel augmentationis posse esse continuum, sed negant semper continuè fieri, id est, sine interruptione aut per totam vitam, aut per diuturnum tempus, quod non prouenit

ex intrinseca natura talis motus, aut termini eius, sed ex multiplici variatione rerum & causarum vniuersi: de qua re latius differunt Philosophi agentes de corporum augmentatione. Ratio illius opinionis soluetur commodius se. sequenti.

SECTIO IV.

An latitudo intensiua qualitatū habeat definitos terminos intensiōis & remissionis.



Hæc quæstio tractari solet à Philosophis in i. Physicorum, vbi generatim disputant de terminis, maximo & minimo, rerum omnium, quæ augmentum vel decrementum suscipere possunt. Tamen, quoad hanc partem hoc loco visa est necessaria, hæc disputatio, tum propter soluendum fundamentum contrariæ sententiæ propositum in se. præced. tum etiam, quia licet augmentum extensuum, quod materiam & quantitatem consequitur, & consequenter etiam eius terminus, ad considerationem physicā pertineant, tamen augmentum intensuum ex se abstrahit à materia & quantitate, ideoque tam de illo, quam de terminis eius ad Metaphysicum agere per se pertinet.

Quæstionis sensus.

Est autem sensus quæstionis vtrum qualitas habens latitudinem intensiuam, determinet sibi certum aliquem gradum, vel particulam suæ entitatis, quam, vt minimum requirat vt fieri possit, ita vt remissior producti aut conservari non possit, & hoc est qualitatem terminari ad minimum. Ad maximum vero terminari est, quod detur aliquis terminus illius entitatis, vltra quē non possit eius intensio progredi. Et quamvis distinguere soleant Philosophi duces terminos magnitudinis, & paruitatis, scilicet, intrinsecum, & extrinsecum, quos in paruitate vocant minimum quod sit, & maximum quod non, in magnitudine vero, maximum quod sit, & minimum quod non, in præfenti vero non indigemus illa distinctione, quia, si hæc qualitates habent terminos, certum est illos esse extrinsecos, & non intrinsecos, vt ex dicendis constabit.

Prima sententiā docens dari minimum in intensiōe.

De termino ergo paruitatis multi censent habere qualitates terminari ad minimam. Ita tenet Soncin. 8. Metaphysicor. quæstio. 13. & idem videtur sequi. Iandun. lib. 6. Physic. quæstio. 15. Egid. 1. de generat. quæst. 25. & ibi Toletus 9. 7. Est tamen discrimen inter hos auctores, nam Someinas putat illud minimum esse quod simpliciter indiuisibile in sua entitate, tam quoad partium compositionem, qua caret, quam quoad modum afficiendi subiectum magis vel minus, quia iuxta sententiā explicatam intensiōem in hunc modum, ille gradus minimus ponitur incapax intensiōis, quia in modo afficiendi non recipit variationem, sed indiuisibilitatem habet. Sed hic sensus supponit falsam sententiā supra impugnata, quod tota latitudo intensiua cōponatur ex gradibus indiuisibilibus, & ideo illam omitto. An vero in alio sensu possit hæc entitas indiuisibilis explicari, & ad veritatem reduci, infra dicam. Alio ergo modo intelligitur illa sententiā, nimirum, quod in latitudine intensiua qualitatū nulla possit signari pars, quæ non sit ex partibus composita, & ideo in ipsa totali entitate nulla sit signabilis pars ita parua, quin alia minor signari possit. Nihilominus tamen signari possit aliqua pars tam parua seu tam remissa, vt non possit minor seu remissior conservari, aut esse quam